

### 1.3.12

*Idem AA. Eutychiano pp.*

Si quis curialis clericus fuerit ordinatus nec statim conventione praemissa pristinae condicioni reddatur, is vigore et sollertia iudicantium ad pristinam sortem velut manu mox injecta revocetur. clericis enim ulterius legem prodesse non patimur, quae cessione patrimonii subsecuta decuriones clericos esse non vetabat.

*D. VI k. Aug. Mnizo Honorio A. IIII et Eutychiano cons. [a. 398]*

### 1.3.13

*Idem A A. Sapidiano vicario Africæ*

Si ecclesiae venerabilis privilegia cuiusquam fuerint vel temeritate violata vel dissimulatione neglecta, commissum quinque librarum auri condemnatione plectetur.

*D. VII k. Iul. Brixiae Theodoro cons. [a. 399]*

### 1.3.14

*Idem AA. Hadriano pp.*

Quicumque residentibus sacerdotibus fuerit episcopali loco et nomine detrusus, si aliquid vel contra custodiam vel contra quietem publicam moliri fuerit deprehensus rursusque sacerdotium petere, a quo videtur expulsus, procul ab ea urbe, quam conturbavit, centum milibus vitam agat. nec nostra adeat secreta nec impetrare rescripta speret, sed etiam impetratis careat: defensoribus etiam eorum indignationem subituris.

*D. prid. non. Febr. Ravenna Stilichone et Aureliano cons. [a. 400]*